

Abconditum, videl. tum ratione promulgationis, quia in N. T. latius fuit propagatum, tum ratione patefactionis, quia longe clarius, quam in V. T. fuit propositum.

§. 26. III. Patefactionem, *ὡς ἵ ἐφανερώθη*. Insinuat (1) tempus, quando manifestatio facta est, scil. tempore N. T. Non hoc sensu, quasi ad N. T. tempora usq; fuerit absconditum hoc mysterium, quum expressè scribat Apostolus Rom. XVI. 26. quod manifestatum etiam fuerit nunc & per Scripturas Propheticas, Conf. Rom. III. 21. (2) fit mentio *subiecti*, cui facta est manifestatio, nim. *τοῖς ἀγίοις*, quos Deus elegit & vocavit, ut essent sancti Eph. I. 4. non quos invenit sanctos. Quamvis enim, ut supra dictum, Evangelium voce Apostolorum prædicatum sit omni Creaturæ, quæ sub cælo est: iis tamen, qui contumaciter id à se repellunt, mansit iusto iudicio absconditum cum universis suis mysteriis, thesauris & beneficiis, & solis credentibus, qui sanctorum titulo designantur, innotuit, DEO scil. per Spiritum S. suum oculos mentis eorum clementer aperiente & illustrante. (3) connotatur, *causa* his verbis *VERS. 27. Quibus voluit Deus notum facere*, Refert ergò Paulus hanc patefactionem ad solam beneficam DEI voluntatem, ne quis nomen sanctorum audiens ad merita & propriam dignitatem referat. Locus parallelus habetur Eph. III. 5. & 6.

Vers. 27.

§. 27. Hujus in versiculi explicatione *ὡς ἵ ἐφανερώθη* non habemus 1. Pontificios, qui exinde, quod mysterium dicitur absconditum, Scripturæ S. obscuritatem probare satagunt. Quibus pro nobis respondeant Jesuita Coturius, scribens in *Epist. controvers. novissimè edita p. 94. Catholicos (Pontificios) omnia, quæ precisè & absolutè necessaria sunt ad salutem, clara & perspicua esse, docere*. Contrarium tamen fovent Gordonus Hundlaus, Becanus *Compend. manual. p. 28. Costerus Enchirid. controvers. p. 50. Greg. de Valent. l. 5. annal. c. 2. aliiq; quàm plurimi. Dan. Chamier. t. 1. Panstr. l. 15. c. 8. loc. paral. Rom. XVI. 15. & 16. Ephes. I. 9. c. III. 9. confert, & ex iis contra Pontificios rectè colligit, eam esse ex Dei voluntate quasi naturam predicationis Evangelicæ, ut non tantum ipsa sit perspicua & manifesta, sed etiam lucem*